



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118464

§. 106. Archidux a Ximenio Castellæ Rex proclamari jussus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

Sæcul. XVI.
A.C. 1516.

§. CVI.

*Archidux a Ximenio Castellæ Rex
proclamari iussus.*

Gomes. ib.

Ximenius, cum plurimorum suffragia Archiduci adversari intelligeret, interrupto Senatu hæc dixit: non ad consulendum, sed ad parendum rei jam decisæ evocati estis: aut ergo susceptum Archiducis consilium omnino probandum, aut Regium nomen eidem auferendum, atque omnino declarandum erit, quod Archidux etiam pro illo temporis articulo, quo ad eum solum regnorum possessio devoluta est, Hispano Regimini ineptus sit; non enim Carolo regium nomen denegari potest, quin Hispanorum honor totius Europæ ludibrio exponatur, nec etiam tanta contumelia affectus in Regem foret acceptandus, quin merito justæ indignationis suæ furor subditis timendus esset. His verbis imperterrita voce prolatis, Ximenius sententias rogandi spacium haud ultra indulsit, sed Petro Correo, quem Madritensi Prætura auxerat, iussa præstolanti negotium dedit, ut Joannam Reginam, & Carolum ejus Filium pari jure Castellæ Reges esse in urbe nunciaret: quo facto, mox clangentibus tubis, ac præconis voce Carolus Rex proclamatus est. Reliquæ

quæ etiam urbes, accepto Regio diploma- Sæcul. XVI.
 mate, ceterarum exemplum prompto ob- A.C. 1516.
 sequio sequebantur. Ordines quoque,
 qui necdum sua ferebant suffragia, Xime-
 nii sententiæ accesserunt, ejusque jussa
 omnino rata habuerunt.

§. CVII.

*Arragonensium Ordines Archiduci
 Regium nomen denegantes.*

Soli Arragonensium Ordines, quibus
 Ferdinandus Alphonsus Cæsarangu-
 stanus Archiepiscopus cum summa Gu-
 bernatoris potestate dederat, regias hasce
 literas haud quaquam acceptarunt, at-
 que Archiducem pro Rege agnoscere
 recusarunt, donec Joanna Regina ejus
 Mater vita excessisset.

§. CVIII.

*Cæsar Mediolani Ducatum occupare
 aggressus.*

Hæc dum in Hispania gerebantur, Ma- *Bomb. l. II.*
 ximilianus Imperator Francisci I. di- *ep. 28.*
 scessum, atque absentiam a Mediolanensi *Guicc. l. 12.*
 Statu in rem suam vertere cogitabat. *Raynald.*
 Acceperat is a Ferdinando Rege Catho- *1516. n. 75. 97*
 lico ante ejus mortem centum & viginti
 nummum aureorum millia, vicissim pol-
 licitus, se primo Vere in Mediolanensium
Hist. Eccles. Tom. XXXIII. K Du-